



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 63. Venetorum excusatio ob bellum Turcicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1493.

§. LXIII.

*Venetorum excusatio ob bellum
Turcicum.*

Ast Veneti Perronio respondent, se propriæ necessitatis periculo omnino prohiberi, quominus copias suas Regi ejus Domino jungerent, opemque ferrent; certum enim ad eos ex Constantino-politana urbe delatum fuisse nuncium, Bajazethem Turcarum Imperatorem bellum eis proxime indicturum, de cetero si Regem, cujus curia consultissimis Viris abundaret, consilio juvare vellent, maximam Venetorum imprudentiam, temeritatemque fore. Verum hoc responsum nonnisi speciosa erat excusatio; Turcam enim bellum illis nunciaturum, nulla vero similis probabat ratio, re tamen ipsa, inquit Comminæus, existimabant Veneti, Galliarum Regem per se ipsum nullatenus Neapolim petiturum, sed duntaxat cuidam ex suis Belliducibus exercitus imperium delaturum, inde vero inferebant, in eorum arbitrio penitus relictum fore, eo ipso temporis articulo, quo eis bene visum fuerit, Gallorum conatus infringere: Optabant quidem, ut Galli ulciscerentur injurias, quas ipsis non tam Ferdinandus, cui non adeo infensi erant, sed maxime Alphonfus
ejus

eius filius intulisset; hunc enim infimulabant Veneti, quod, nonnullis auro corruptis, eorum fontes veneno inficere tentasset, atque illorum copiis interea in Ferrariensi obsidione detentis, omnium Italiæ Principum foedus contra eos conflasset, quorum potentia haud dubie illos penitus oppressisset, nisi eis Ludovici inconstantia, ac perfidia saluti fuisset.

§. LXIV.

Florentini ægerrime Regis petitione acquiescentes.

Perronius Venetorum responso parum contentus, ad Florentinorum Rempublicam divertit, postulans, ut pro veteri Gallos inter & Florentinos amicitia, regis copiis liberum per eorum ditiones transitum concederent, annonam, ceteraque ad bellum necessaria justo pretio suppeditarent, ac præterea unam bellatorum centuriam instruerent, Reipublicæ sumptibus toto belli tempore alendam. Hæc petitio non parum turbabat Petri Medicæi animum, qui tamen mox respondit, Florentinis equidem nil optatius esse, quam Gallorum amicitiam; ast hanc ipsam exposcere, ut Galliarum Rex a suo postulato desisteret; non enim Ducis integrum esse, Regis exercitu Italiam necdum ingresso, ejusdem precibus præ-

Hist. Eccles. Tom. XXX. M m ccc